



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1706**

Litterarum Testimonialium superviventis Form. XV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

2. Hi autem, qui non sunt impediti, si sunt intrà centum milliaria, tenentur accedere etiam in quarto gradu conjuncti: Cæteri verò Itali ultrà centum milliaria distantes, sicuti etiam Hispani, & Portugallenses, non nisi in secundo: Galli autem, Germani, & Poloni ab accessu dispensantur, ut docet Datariaè praxis,

## Testimonialis superviventiaè.

## FORMULA XV.

## SUMMARIUM.

- 1 Quando exigatur Testimonialis Superviventiaè.

## N. Episcopus N. sivè Vicarius Generalis N.

UNIVERSIS fidem indubiam facimus, & testamur per præsentés, N. bona, & firma valetudine præditum, sanum, & incolumem vivere, ut ex ejus aspectu, & colloquio hodiè in hac Civitate secum habito dignoscere potuimus, & sic publicè ab omnibus reputari percepimus. Idè ad ejus instantiam has testimoniales litteras nostra manu subscriptas, & sigillo munitas expediri jussimus. Datum &c.

N. Episcopus, sivè Vicarius Generalis N.

Loco ✕ Sigilli,

## N. Cancellarius Episcopalis.

## ADNOTATIO.

1. HÆc testimonialis requiritur pro absente ab Urbe, qui officio vacabilia illic possidet, & fructus illorum exigere, vel alienationem in absentia facere intendit; ac etiam aliquando in resignationibus Beneficiorum, aliisque similibus causis.

Testimonialium approbationis in concursu.

## FORMULA XVI.

## SUMMARIUM.

- 1 Testimoniales concursus debent conti-

nere nomina omnium approbatorum.

2 Prælectio concurrentium approbatorum potest explicari ab Episcopo post concursum loco, & tempore diverso.

Examinatorum relatio debet fieri coram Episcopo collegiativè, ibid.

3 Episcopus suspensus à jurisdictione, non potest præeligere digniorem in concursu, quamvis jus conferendi Beneficia retineret, sed jus ad Vicarium Apostolicum devolvitur.

4 Collatio Parochialis, in mense Papæ vacata dicitur voluntaria, quia Papa confert cui vult ex approbatis.

## N. Dei, &amp; Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N.

ILLUSTRISSIMO, & REVERENDISSIMO Domino Santissimi D. N. CLEMENS XI. Papæ Datario, ac quibuscumque aliis præsentés testimoniales litteras inspecturis significamus, quòd vacante de mense N. proximè præterito Parochiali Ecclesia sub invocatione S. N. loci N. hujus nostræ Diocesis per obitum.